

tam opulenta gente divitibusque regnis. Sed illud cœlestium 1097
 bonorum majus erit & amplius, quod divino nomine forti-
 ter dimicaturis polliceor. Ad hæc Pontificis verba ex toto
 confessu acclamatum ferunt, *Deum ipsum ita velle*. Tum
 Pontifex, indicto silentio: *Ite ergo*, inquit, *viri fortes*, &
id verbum quod ex ore omnium uno tempore manavit, pro-
tessera vobis in bello sumite: crucemque ex rubro panno, qui
in novam profecturi sunt expeditionem, sagis dextro humero
assuant. Hic res mira narratur, &, nisi Deum piis interesse
 consiliis crederemus, vix referenda: eodem die, quo hæc
 apud Claromontem acta sunt, famam decreti belli ad extre-
 mas terræ oras pervenisse. Interim vero, dum illo ipso con-
 ventu Urbanus & alii, de novi Imperatoris creatione, quæ
 præter cætera omnium animos in expectationem erexerat ma-
 ximam, agerent; tenuissetque ea consultatio aliquot dies,
 multa mortalium millia ad novum bellum devota, in spe-
 cie in concionis astitisse dicuntur. Nec ita multo post ad tre-
 centa armatorum millia ad præsentem expeditionem parata
 sese itineri accinxisse. Ea Christiani nominis multitudo du-
 &tores habuit, Gothifredum, Eustachium & Balduinum Bo-
 lionios: Raimundum Ægidii, & Rubertum Flandriæ Co-
 mites: Hugonem cognomento Magnum, Philippi Galliæ
 Regis fratrem: Stephanum Carnoti Comitem: Podiensem
 Antistitem: & Petrum Eremitam novæ expeditionis aucto-
 rem. Is ut primas belli partes obiisse videretur, cum Baldui-
 no & fratribus per Germaniam, Pannoniam, ac Thraciam
 ingenti armatorum manu Constantinopolim venit: Podiensis
 Antistes, Raimundus, Hugo Magnus, & Stephanus Carno-
 ti majoribus omnino copiis in Italiam transgressi, Romam
 ad Pontificem venerunt. Hinc tripartito profecti, pars una
 Brundusium, altera Barium, tertia Hidruntem petiere: sed
 iis qui per Appuliam ducebat, Boemundus Guiscardi
 filius, homo impiger, tam inclytæ expeditionis fama jam an-
 tea motus, socia arma junxit. Dum copiæ quæ in Italia
 erant, sese ad profectionem expediunt, interim Eremita, qui
 cum Bolioniis fratribus Byzantium venerat, Thracio Bospho-
 ro, qua proximum fuit, copias in Asiam trajecit; quod ut

*Duces bellâ
bujus.*

*Copias undi-
quaque mit-
tuntur.*